

buisti aquam, qua sitim explere potuisti; ego vel aquam ipsam, eamque adhuc vermiculis plenam soluere debeo pauperrimus. Tu potuisti laetus cum interprete loca quaeuis peruagari, ego vero solus fame sitique excruciatu spinis horrendis iter denegantibus parca, quae mihi supersunt, lacero vestimenta, solo plantarum ductus amore lacero. Male dixissem saepius illi horae, qua primo Botanices amore occupatus fui, nisi ea sola impraesentiarum mihi solum unicumque praeberet solamen et certe continuum, dum semper quid noui inquirendo semper temporis angustiam, nihil omnino aliud agendum habens, doleam. Quid de praxi mea Tibi sperandum supersit, iudices, dum quidam, quem iam nominare haud volo, putabat vel ipsum M. Boerhaavium parum vel nihil hic locorum praestare posse, quid ergo crederet de discipulo, cum eiusmodi iudicium experiri debeat Praeceptor, facile capis. Malunt certe praxi Molieri, purgationibus, V. S.¹, clysteribus contenti nasutulis et loquacibus Medicastris pro Mannae $\frac{3}{4}\beta^2$ soluere 2. florenos et ad astra auolare, quam praescriptae diaetae rationali sese submittere, quae fata et alius Medicus Iudaeus Boerhaavii discipulus sese diu expertum dolet. Dabit Deus misero tempora, quibus Flora Surinamensis [!] describere poterit, quam constanti patientia eam, quae certe vel duplam mea aetate maiorem facile pessumdaret, perfero miseriam, vtinam meis sese tantum iungerent Tuae lacrimae; summum quod exoptare possem miserrimus, inuenirem solamen; sed dabis veniam, si vel absurdissima, quae potero, pingam in quibusdam nomina, vel quacunque ratione plurima describam, ne vllam iis, qui nequissime et inhonestissime mecum egerunt, praestem vtilitatem, nam maledictum dicerem id momentum, quo Societati quoddam adferrem emolumentum. Debeo certe D. Gronouio summas et infinitas grates pro ea, quam mihi procurauit, epistola commendatitia, alias crede mihi coactus fuissem certissime vltima inspiratione iamdiu finire vitam, hoc fuisset praemium omnium laborum, et honestae paratissimaeque mentis vel summa praestandi. Ast nunc, nisi adferant naues, quas exspectaui, pecunias, descriptionibus ad minimum in iis exactus contentum me esse oportebit, et sic mense Maio vel Iunio discedere, etenim vel ipsa, quam coactus experiri debeo, ne peream fame, beneuolentia quorundam mihi molestissima hinc saepe vno frustulo panis et vitro aquae per diem contentus esse cogor, Tabaco famem, succo Citri sitim fallens. Examinabis transmissa quam rigorosissime et respondebis citissime, et per binas naues. Si Thermometrum habuissem, quam exactissime potuissem obseruare omnia, nunc vero lacrimas meas ploranti caelo measque miserias lugenti iungere debeo, vt potum inueniam, quo siticulosas papillas linguae demulceam. Si placet, transmissa examines, at rigorosissime, nec Tuo